2)
10
8
9
M. 31

Salutem a Jesu Servatore

Dilectiss.e Dn. Cocceji, Post abitum tabellarii à te missi literis Viri
Rev. Dni Scotani vocatus, Franequeram fui 8 Aug. st. v. tibi ut de
aedibus prospiceremus. Non poteramus tum certi aliquid expiscari. Consiliu
meu fuit ut si quid Dn. Scotanus cognosceret, ad me perscriberet, ego tibi
per tabellarium Emdanu indicarem, tu responderes quamprimu, ut certi
quid possemus statuere. Quid mihi significarit Dn. Scotanus malo te ex
propria ipsius ad me manu intelligere, ut simul desideriu tui nostru tibi sit mani-
festu. Doluimus utrique quod majus stipendiu tibi non fuerit oblatum
& suaderemus ut quia certi adhuc nihil ad ~~ipsos~~ DD. Curatores perscripsisti, urgeas
stipendiu 800 florenoru; interim dum puerperam tuam curas (quam
feliciter enixam esse optamus, speramus) facile id ipsis ostendere poteris
nec tamen adventui tuo ulla injicietur remora. Id deniq tu erat ut
his meis insererem. Vides tamen metu aliud postea Rev. Dn. Scotano suasisse
Tu fac quae pro tua judicaris prudentia tibi magis honesta, utilia. Nosti
enim ipse, quantu jam indulseris DD. Curatoribus, & tamen te maxime expetunt.
Hoc vovemus omnes unanimiter, ut si tibi si nobis salutare, det clementiss.
Deus nos tua frui praesentia, & Academiam nostram te gaudere Professore
Status provinciae nostrae tristis est tu ob continuas pluvias, quibus agrorum
fructus perduntur, tum ob grassantem pestem, quae praeterita septimana Leovardiae
149 ut asserunt absumsit, Harlingae circiter 100, Franequerae vix unu aut
alteru. Ea n. sola civitas hactenus à lue ista infecta non fuit, praeter duas aedes
quae veneno hoc contaminatae reperiuntur. Rescribe quaeso quamprimu
vel ad me solu vel (si forte pagi mei nomen tabellariis ignotum id consultius
arbitratus fueris) ad Dn. Scotanu, ita tamen ut ad me aliquid iis inseras,
quo certi aliquid, utrum certo decreveris venire nec ne, & utrum nobis
certam des potestatem aedes aliquas conducendi, & quas malis ex istis
duabus. Nos ubi ex te certi quid habuerimus operam dabimus, ut
quantum ejus fieri potest tibi de commodis prospiciamus. Deus interim
Te Tuam, tuos omnes sospitet & gratia sua coronet, salvosque tandem
ac incolumem ad nos transportet. Salveant Parens, Frater, Amici, &c.
salveat plurimu Uxor tua Dil. & ii quos meo nomine salutari Viri Rev.
Dn. Cloriy & Dn. Bergius officiose ni grave est a me salutentur
Tu autem Mi suaviss.e Dn. Cocch in Domino Jesu
intime salve & optime vale. raptim 12 Aug. 1636.

T. T.

Johannes J. Martiny.

Viro Pietate, Doctrina, Hu-
manitate Clariss.o Dn. Johanni
Coch Linguæ S. Professori
in illustri Bremano celeberrimo,
Dn̄o et Amico pl. dilecto.

Bremen bey'm Gymnasio
zu erfrag.

cito
cito
cito.

Loont. van [illegible]

20. Augusti